

quiescere, & explendescere intendit. Tu enim antonomasticè *El Contador* vocaris, &, quos natura fortitus es, splendoribus fulges. Quid de Te, quid de tuis Maioribus dicam? Modestiae tuae institutis arceor, observantiae meae stimulis vrgeor; sed dum vtrisque cogor, me cunctis satisfecisse arbitror, si ea dumtaxat, quae de Te omnibus fatis nota suspiciuntur, & de Tuis apud alios fusè scripta leguntur, breviter exposuero.

Ex Cæsar-Augusta Aragonum Capitali Cæsarea Ciuitate, quà natus, Matritum te penè pubentem contulisti, vt ardentem spiritum in Regali seruitio, quaestoris munere, si posses, exerceres; siquidem inter cæteras humanas litteras, quibus operam nauasti, Mathematicus genius in Arithmetica Te ita practicè detinuit, vt nova compendia circa minutias, prius quam duodecimum annum ageres in publicam vtilitatem ederes; ea tamen, quae ad rationum libros ducendos pertinebant, tibi metipsi seruens, quod quibusdam, qui Regia conventionone, & authoritate Galeonum Classes instruendas susceperant, ansam tribuit, vt tanti momēti negotium dexteritati tuae commendarent, Te, licet invitum, Gades attrahendi, vbi magis in hac directione mirandum, quam Exteris, quorum ex omnibus nationibus plurimi extant, imitandum praestasti. Non tibi propriae negotiationes ex voto successerunt,